

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO - PHARMACOLOGICA
DE
BALNEIS MARINIS,

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE
EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS
PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI
DECANI,

NEC NON
CLARISSIMORUM ET CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM
PRO
DOCTORIS LAUREA
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE OBTINENDIS
IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA
UNIVERSITATE VINDOBONENSI
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

Adolphus Gaddum,

Tergestinus.

In Theses adnexas disputabitur in Universitatis
aedibus die 15. mensis Martii 1834.

VINDOBONAE.
TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

**Θάλασσα κλυζει παντα τ' ἀνθρώπων κακα.
Euripides Iphig. in Taur. V. 49.**



AMICIS COLLEGIS



a u c t o r .

Conspectus historicus.

Quamquam aqua marina, ceu remedium contra morbos diversos, sive acutos sive chronicos, a *Hippocratis* nonnisi temporibus innotescat; priscos tamen litorum accolae salutis suae in fluctibus maris consuluisse, absonum non videtur. Quem enim non fugiunt animalium quorundam undas litora alluentes petendi instinctus, imitationis hominum quemque trahentis nisus, undae marinae ad balneum invitantis illecebrae, eo ipso vires ejusdem in sanandis morbis benignas diu notas, easque auctorum medicorum scriptis remotiores concessit.

Nihilominus prima hujus remedii dignitatem medicam assecuti vestigia in operibus *Hippocratis* inveniuntur, *Celsi*, *Aretaei*, aliorumque, quorum data partim *cel. R. Russel* colligere placuit, partim in *Diogenis Laërtis* scriptis invenire poteris *). Magnis tunc temporis laudibus balneorum maritimorum in maniae variis speciebus inque hydrophobia sanandis extollebantur vires, quas in salsedine maris ponderaque majori veteres quaerebant, quoque pacto Euripides ab Aegyptis pristinae valetudini ex hydrophobia restitutus traditur.

*) Vita Platonis. l. 3. pag. 288.

Vires in hydrophobia et praevertenda et sananda eximias balneis marinis nostris quoque temporibus in Hollandiae regionibus pluribus tribui, *cel. van Swieten* testatur*), quarum incolae corpus maris fluctibus protinus immergentes, communi unicoque contra atrocem hunc morbum remedio se pollere gloriantur, et in cujus virtutis confirmandae gratiam *Tulpius* et *van Helmont* plura nobis exempla retulerunt.

In propugnandis quoque aliis multisque morbis adhibitum, medicorum tum antiquorum tum recentiorum fidem non sefellit hoc remedium hodieque dignitatem magnam sibi vindicat.

Fama tamen, qua nostris diebus gaudent balnea marina, a medietate seculi praecedentis insurgere coepit curantibus Angliae medicis, quorum merita in hoc opere summa, nemo est qui non agnoscit. Eorum usus paulatim et medicis Germanis et Gallis aliarumque gentium arrisit ita, ut hujusmodi balneorum praestantia extra omnem dubitationis aleam posita, nunc in compluribus Europae provinciis instituta publicis sumptibus exstructa aegris pateant, aquae marinae efficacia indigentibus.

Instituta ejusmodi praecipua habentur in oppidis:

Angliae: Ramsgate, Margate, Gravesend, Southend, Harwich, Yarmouth, Cromer, Lowestoff, Aldborough, Scarborough, Bridlington, Redcoar, Coatham, Hartleport, Dover, Sandgate, Hithe, East-Bourne, Hastings, Boynor, Little-Hampton, Worthing, Southampton, Lymington, Ryde, West-Co-

*) *Van Swieten*, Comment. in *H. Boerhave* Aphorismos. Lugd. Batav. Tom. 3. pag. 570.

wes, Modifort, Weymouth, Charmouth, Lyme, Sidmouth, Teignmouth, Shaldon, Torquay, Exmouth, Topsham, Dawlish, Fowey, Ilfracombe, Instow, Appledore, Barnstaple, Blackport, Southport, Minehead, Aberiswith, Barmouth, Towyn, Carnarvon, Swan-Tenby.

Scotiae: Helensburgh, Innerkip, Gouron, Portobello, Elie, St. Andrews, Broughty - Ferry, Salcoaths, Rothsay, Campleton.

Germaniae: Norderney, Cuxhaven, Helgoland, Wangeroge, Föhr, Doberan, Kiel, Apenrade, Travemünde, Puttbus, Swinemünde, Rügenwalde, Zoppot, Kranz, Hapsal, Oesel, Reval.

Francogalliae: Dieppe, Boulogne.

Italiae: Livorno, Genua, Ischia.

Multo frequentior nihilominus, quam hucusque factum est, et posset et deberet esse medicis usus balnei marini, qui aberrationem a tramite quotidiano timentes indigitare malunt aegris aquas soterias, quam incomparabiles pelagi vires, morbosque hinc non tollunt, quos radicitus unda marina sustulisset.

De balneorum marinorum virtute.

Ut quid balnea marina in promovenda corporis organici valetudine possint, quousque licet intelligatur, non tantum partium in aqua solutarum natura et ratio, sed et undarum labores, propria pelagi vita, aër eidem incumbens, effectus in vitam psychicam redundantes medici attentionem figant oportet.

1. Cohaerent quidem maria majora omnia ita, ut totum quoddam constituentia, per fluxum et refluxum, perque procellas perpetuo agitata, juxta determinatas directiones in fluxum nunc periodicum nunc anomalum raptum, aequabilem ubique partium

solutarum proportionem verosimilem redderet; nihilominus partim soli diversitas partim marium singulorum per freta angusta separatio, clima ipsum, aliaque plura, rem ita constituunt, ut in variis pelagi plagis elementa varia, haecque varia proportione investigationibus chemicis numquam non patuerint. Inde potissimum est, cur analyses chimicae variis et temporibus et locis, et a variis auctoribus institutae magnam adeo discrepantiam obtulerint.

Sequentia generatim in aqua marina detecta sunt:

Murias Sodae,

» Magnesiae,

Sulfas »

Carbonas »

Sulfas Sodae (quem nonnulli pro analyseos producto habent).

Murias Calcis,

» Lixivae (*Wollaston, Gay-Lussac*),

» Ammoniae (parva quidem copia *Marcet*).

Salem duplicem, ad quem formandum sulfas Sodae atque Magnesiae concurrunt (*Marcet*).

Murias Aluminae (*Gmelin* in aqua lacus Asphaltitae),

» ferri,

» Mangani (*Gmelin* in aqua lacus Asphaltitae),

» Hydrargyri (praeunte *Rouelle, Proust*).

Acidum Hydrochloricum liberum, (*Hermbstädt* in aqua maris Baltici).

Jodum (*Baland* in aqua maris mediterranei, in illa maris Baltici, *Pfaff*).

Bromium,

Acidum Hydrothionicum,

Materia extractiva.

Inter haec Murias Sodae aut Magnesiaie principem ubique scenam ludunt, sed nec horum proportio eadem est, id quod ex sequentibus analysisibus patebit.

Invenerunt in aquae maris Atlantici partibus 1000 cel. *Vogel et Bouillon la Grange*:

Muriatis Sodae	25,10
» Magnesiaie	3,05
Sulfatis »	5,78
» Calcis	0,15
Carbonatis Calcis et Magnesiaie . .	0,20
Acidi Carbonici liberi	0,23

Secundum eosdem auctores habentur in partibus 1000 aquae Freti Britannici:

Muriatis Sodae	25,10
» Magnesiaie	3,50
Sulfatis »	5,78
» Calcis	0,15
Carbonatis Calcis et Magnesiaie . .	0,20
Acidi Carbonici liberi	0,23

In aqua maris Mediterranei invenerunt auctores jam laudati:

Muriatis Sodae	25,10
» Magnesiaie	5,25
Sulfatis »	6,25
» Calcis	0,15
Carbonatis Calcis et Magnesiaie . .	0,13
Acidi Carbonici	0,11

In aqua tandem maris Baltici invenit cel. *Hermstädt*:

Muriatis Sodae	4,859
» Magnesiaie	15,755
» Calcis	4,450

Muriatis Lixivae	0,275
» Ferri	0,335
Sulfatis Sodae	1,597
» Calcis	0,004
Acidi Hydrochlorici liberi	0,507

Aquam quoque marinam sub vehementi tempestate his particulis graviolem esse, quin earum ad se invicem proportio mutetur, contendit cel. *A. L. Richter* *).

His nunc elementis gravis aqua maris non tantum pondus specificum aqua fontana majus exhibet (testante cel. *Gay-Lussac* ratio inter utramque est uti 1,086 ad 1000), sed peculiarem sibi virtutem adrogat, qua conflictum cum corpore organico ingrediens, hujus processum vitalem suo et utique memorabili modo immutare valet.

2) Si verum est, processus electricos ubicumque in rerum natura prolici, ubi corpora aut chemico aut dynamico respectu sibi opposita in conflictum congregiuntur, id certe de aquis marinis corpus organicum alluentibus non minus, quam de soteriis quibuscumque valeat oportet, idque eo magis, cum pelagi in fluctus elati motus processui ejusmodi non parum faveant necesse sit.

Effectibus tamen istis ex fluctuum impetu emergentibus supersedent, ex qua ratione nescio, auctorum nonnulli, quibus alii pertinaciter inhaerent. Illis autem quamvis neglectis, undae tamen in corpus irruentis effectus mechanici et concutientes, iisque non absimiles, quos affusiones embrocationesque exe-

*) Dr. A. L. Richter, die Seebäder auf Nordern, Wangeroog und Helgoland. Berlin 1833.

runt non concedi non possunt, aridente simul huic veritati experientia quotidiana, qua balnea marina sub tempore fluxus aut aequoris per procellas irritati capta, thermopoësin etiam magis sollicitare, corpusque magis reficere scimus, quam id coelo sereno pelagoque tranquillo contingere solet.

Nec deinde praetervidendum est, corpus aquae immersum, ut statum erectum tueatur, haud exiguam undis in illud illidentibus resistentiam opponere debere inque motum nunc progredientem, nunc regredientem rapi. His addi poterunt, quae ex aegrorum quorundam nandi exercitiis in corpus organicum redundant et unde effectus ex balnei pressione, caloris et electrici subtractione in periphericis corporis partibus indeque secundario modo in centralibus emergentes magnopere moderari in aprico est.

Intelligitur inde, undarum labores (ber Wellenschlag) sistere momentum summa attentione dignum, quod medicus in balneis hujusmodi praescribendis numquam non prae oculis habere debet et quo balnea marina ab omnibus aliis balneorum speciebus plurimum differunt.

3) Mancam foveret de maris natura ideam, qui illud pro simplici corporum anorganicorum solutione haberet. Ingens aequoris moles, cujus limites coelum terraque circumscribunt conflictus non exiles tum externos, cum terrae solo, atmosphaera et astris, tum internos, cum corporum et organicorum et anorganicorum serie infinita, mechanicos, chemicos dynamicosque sustinet. Monente cel. *Hufeland*, mari non minus quam aëri atmosphaerico proprius vitae modus competit atque ceu elementum considerari debet entibus organicis refertum, quae in eodem nascentia absolutoque curriculo vitae interitum offendentia partes

organicae originis quamplurimas eidem communicant, chemicis experimentis nec detegendas nec componendas. Mare igitur organismum sistit analyses et syntheses continuas vitamque nec unquam silentem sustinens.

Effectus autem ex huiusmodi vitae modo, in corpus humanum redundantes hucusque multo minus objectum scrutationis penitioris fuerunt, quam illi aëris atmosphaerici.

Hos nihilominus negligere non decet medicum, qui potius maximi eosdem faciat cum cel. *van Halem* sequentia hoc respectu exclamante :

»Man tritt durch das Baden gleichsam auf einige Zeit in den Kreis dieses eigenen Naturlebens, wird ein Glied der großen Kette dieses organischen Ganzen und genießt seinen unmittelbaren und wunderbaren Einfluß *). «

4) Summam aëris in definienda hominum valetudine dignitatem secum reputans medicus, praestantes atmosphaerae maritimae dotes non admirari non potest.

Plura sunt, quibus aër pelago incumbens ab illo differt, quem terrae continentis incolae spirant. Referimus huc imprimis ejusdem a mephitibus et acido Carbonico majorem immunitatem, partim in alacriori ventorum lusu, partim in aequoris absorbendi potestate fundatam, majorem praeterea vaporum aquosorum rationem, temperiem magis constantem, non exiguam Chlorureti Natrii **) ***) , acidi Muriatici et

*) *v. Halem* über die Seebadanstalt auf Norderney. Aurich. 1801.

**) Praeunte cel. *Berzelio* particulae salinae non cum aqua evaporari, sed in hac flagitantibus ventis subtilissime divisa solutae in aërem ascendere, dispulsoque menstruo sub specie pulveris in atmosphaera volitare creduntur.

***) Quantitas particularum salinarum adeo magna subinde

Pyrhinae *) in eodem suspensorum copiam. His autem computatis elucet peculiaris atmosphaerae marinae et a terrestri summopere diversa indoles, cujus ad organa spirantia ratio minus quidem innotescit, effectus autem experientia adeo comprobavit, ut mirum non videatur, cur in aëris marini virtute, hominum aut oras aut insulas pelagi inhabitantium valetudine, morborum apud eosdem raritate, nautarum rebus quamvis adversis animo constante, elatiori, respiratione liberiore, somno in mari praestante extollendis, adeo prodigi deprehendantur auctores quamplurimi.

Teste cel. *S. G. Vogel*, aër marinus corpus humanum roborat, elasticitatem fibrae organicae partiumque fluidarum densitatem adauget, functionum omnium alacritatem sollicitat, imprimis autem pulmonibus amicus observatur. Contendit laudatus auctor, eundem aërem ad solvendo pulmonum infarctus leviores solum saepissime sufficere, thermopoësin autem ab eodem, systematis sanguiferi, organorum centralium renisum vitalem blande sufflammari, unde corporis per cutem pulmonesque sese mundandi facultas sollicitetur, transpiratio intendatur, facilitetur et appetitus, digestio, nutritio praestans, egregia sanguinis conditio, humorum indoles blanda horumque ab omni acrimonia immunitas scaturiant **).

est, ut monente cel. *Pittschaff* nuper Manucii (Manchester), post horrendam in mari tempestatem tabulas fenestrarum vitreas inde incrustatas deprehenderent incolae.

*) *Berzelius* Jahresbericht 3. Jahrgang. S. 70.

***) *S. G. Vogel* über den Nutzen und Gebrauch der Seebäder. Stendal 1794.

Anderson eidem aëri mirabilem vim tribuit animum exhilarandi, adpetitum acuendi, digestionem adjuvandi, secretiones excretionisque promovendi, somnum invitandi *).

Cum his collimant verba *cel. R. Russel*: „Inter innumeras mulieres, quae victum quotidie eruendis conchis ad litora quaeritant, vix unam invenies, cujus putridi sint dentes, contra autem firmæ sunt plerumque gingivæ tussique scorbutica liberæ **).“ Asthmaticos autem vel a procul oras adpropinquantes respirationis frequenter levamen experiri, narrat *cel. Pittschaf*t ***).

5) Morborum, balneorum usum sibi exposcentium, non pauci sunt, in quibus sanandis medicus non modo aliquem, sed hinc inde potiozem vitae psychicae respectum habeat necesse est, et in quibus hominem e negotiis quotidianis curisve evellere, sensus tum internos tum externos grate adficere, mentem distrahere, animum oblectare etc. prae omnibus in medici votis est. Pelagi gigantei intuitus, aestus grandiosum spectaculum, typhones, animalium et plantarum undas marinas inhabitantium multiformis grex, vegetationis propria indoles, tot sistunt naturae phaenomena scopo laudato apprime correspondentia, quibusque frustra gloriarentur instituta terrae firmæ balneis accommodata.

His nunc praemissis et aquae fontanae aut frigidae

*) *Anderson* Nachricht von Island und der Straße Davis. etc. Frst. et Lpzg. 1747.

***) *R. Russel* de tabe glandulari. Londin. 1750.

***) *Dr. F. A. Pittschaf*t, Medicinische Beobachtungen und Vergleichen verschiedener Schriftsteller im Gebiete der Arzneywissenschaft. In *Hufeland's Journal* B. 38. S. 91.

aut subfrigidae externe applicatae efficacia perpensa, vires balnei marini stimulantes, roborantes, solventes, se- et excretiones expedientes in conspectum prodeunt.

Aqua maris directe stimulando adgreditur cutem externam, cujus renisum vitalem intendit, pruritus sensum, efflorescentias cutaneas proliciens, secretiones sollicitans, directam ejus debilitatem sanans.

Virtutem roborantem non tantum cutis musculique subjacentes, sed systema nervorum tum vitae animalis tum plasticae functiones gubernans per eminentiam excipiunt. Hunc autem finem intendens medicus, balnea marina ferralis saepissime palmam praeripere offendit. Ubi nimirum systematis sanguiferi vita exsuperans, perque dispositionem ad congestiones activas, inflammationes, haemorrhagias sese manifestans, Martis usum non absque summa cautela concedit, aut vero penitus recusat, ibi balnea in mari aperto absque discrimine usurpantur et effectus exerunt omni medici expectationi respondentes.

Pars aquae resorpta ad corporis penetralia tracta vim egregiam solventem exerit, processus plasticos ubique urgendo, nisum in cohaesionem moderando, systema gangliorum extimulando, quos effectus non tantum cutis sed et systema membranarum mucosarum, serosarum, systema vasorum lymphaticorum, glandularum, organorum cellulosorum, venarum experiantur necesse est; et unde secretiones, excretiones, praeprimis cutaneae et organorum urinalem ex torpore languentes resuscitantur, stases solvuntur, functionum vitae plasticae concentus restituitur.

Intelligitur inde morborum ex balneorum mari-

norum usu medelam expectantium ingens caterva. Huc referuntur:

1. Cutis externae debilitas directa, per abnormem teneritudinem, sensilitatem, ad spasmos proclivitatem ad adfectiones rheumaticas, catarrhosas dispositionem manifestanda; impetigines varii generis: scabies, herpes; ulcera mali moris varia.

2. Morbi systematis vasorum lymphaticorum et glandularum cum horum inertia et languore incedentes, quo scrophulae et innumerae, quae inde excrescunt miseriae pertinent *).

3. Passiones membranarum serosarum et fibrosarum, rheumatismus inveteratus, arthritis **)***).

4. Viscerum abdominalium: lienis, hepatis, pancreatis, glandularum mesenterii, uteri, ovariorum inertia, tumor, infarctus et quae his innituntur mala, icterus, arthritis, passiones haemorrhoidales, mensium errores, hypochondria, hysteria etc.

*) Egregius *R. Russel* hoc respectu sequentia ait: „Illud autem quod et verum est iniquus essem si non in laudem marinae aquae subjicerem, nimirum quod paucos tumores glandularum morbidarum mihi vidisse contigit, quos si nondum pus motum fuerit, ab eo liberos servare et deinde dissipare non potui.

**) Monente *cel. v. Halem*, sub initio curae arthriticorum morbus renovatis viribus caput attollit, typus vero Arthritidis intermittens anticipat, usus balnei per biennium continuatus morbum nihilo secius sanat.

***) Clarissimus *J. G. Vogel* de balnei marini in arthritide efficacia sequentia monet: »Ich bin es überzeugt, daß in vielen Fällen zur gründlichen Heilung der Gicht wenig mehr erfordert wird, als das Seebad, wenn damit tagtäglich zwey Mahl wiederholtes trocknes Reiben des ganzen Körpers und die gehörige Diät damit verbunden wird.«

5. Nervosae variae ex abnormi nervorum molli-
tie, teneritudine, stimuli impatientia emergentes, ce-
phalalgia, odontalgia, gastrodynia, dolor ischiadi-
cus etc., chorea St. Viti, epilepsia, catalepsis, hypo-
chondria, hysteria, melancholia, mania, impotentia
virilis, pollutiones morbosae.

6. Hydrophobia, diabetes.

Contra vero non absque discrimine ad hujus re-
medii usum confugiunt medici, qui aegros tractan-
dos suscipiunt plethora vera, summa debilitate, cu-
tis insigni stimulorum impatientia laborantes, vel
vero exanthemate, cujus facilis suppressio periculum
minatur, aut vitio quodam organico e. g. cordis aneu-
rismate, induratione hepatis, lienis vexatos. Quod
deinde nec aegris ad scorbutum, apoplexiam prae-
paratis, pulmonum notabili debilitate, organo quo-
dam suppurante, haematemesi aut haemoptisi adfec-
tis, nec gravidis aut menstruantibus convenit; quae
tot momenta sistunt hujusmodi balneorum usum aut
penitus, aut pro tempore interdicitia.

De balneorum marinarum usu.

Egregiam balnei marini virtutem in scopum suum
accomodans medicus, regulas quasdam prae oculis
habeat necesse est ab aegris numquam non observan-
das, ne in propriam perniciem convertatur reme-
dium, unde solum hinc inde valetudinis recuperan-
dae spes affulget.

Hae quidem cum praeceptis collimant, quibus
balneorum generatim usus adstringitur, sunt tamen
nonnullae, quae a horum balneorum natura peculiari
ita pendent, ut aliquam mentionem sibi hic exposcant.

Aeger maris undas ingrediatur tempore fluxus, utpote majori efficacia praeditas.

Melius conducunt horae matutinae quam pomeridiana.

Jentaculum praemisisse necessario non requiritur, ubi tamen major corporis imbecillitas huic praeepto obsesset, alimenta digestu facilia, aliquot ante balneum horas sumenda, concedi poterunt.

Ponderis in ventriculo sensus, sordes primarum viarum, alvus obstructa, agrypnia, aut vero peculiaris contra balneum aversatio, ejusdem usum pro tempore prohibent.

Modicus ante balneum corporis motus in medici votis est, contra sedulo vitetur major corporis exaestuatio, currendo, equitando aut animi adfectibus e. s. p. inducta.

Abjiciantur indusia omnia aut vestes hinc inde in balnei scopum perperam constructa, quibus immediato fluctuum cum corpore conflictui obstaculum ponitur. Caput, dummodo fieri potest, denudatum sit.

Nudetur corpus paulatim, partesque fors sudore madidae linteis fricando solerter siccentur, nec aëri maritimo exsiccandae relinquantur.

Aeger intrepidus subito fluctibus sese committat citoque caput submergat.

Aëris atmosphaerici in corpus nudum influxus pro possibili vitetur, corpus undis illidentibus perque vices caput obtegentibus sedulo offerendo; quo major generatim sub dato temporis intervallo undarum numerus, eo certior balnei effectus.

Medicus continuum imprimis membrorum exercitium aegris injungat.

Ne protrahatur universim balnei singuli duratio

donec aeger inhorrescat, ne extendatur itaque haec ab initio ultra pauca minutâ prima, ascendendo paulatim in casibus rarioribus ad minuta prima decem. Primum frigoris effectum excipiens caloris sensus et euphoria aquam deserendi tempus designant.

Corpus cito siccatum vestibisque indutum activo musculorum motu exercere oportet sub aura modice calida, sicca, pura, quo facto modicum conceditur jentaculum.

Per totum autem, quo balneorum marinorum usus instituitur temporis spatium aeger regulis diaeteticis subjiciendus est strenuissime observandis. Victus ubique seligatur simplex, facile digerendus ab omnibus glutinosis, pinguibus, tenacibus, acribus salsis alienus, vitetur perinde immodicus potulentorum sive refrigerantium, sive calefacientium usus, vigiliae protractae, animi adfectus, mentis aut corporis intentiones nimiae, curando potius, ut sensus oblectentur, animus exhilaretur, mens grate distrahatur.

Amoenus caloris totum corpus animantis sensus, quaedam capitis, pectorisve libertas singularis euphoria, agilitas in membris movendis, adpetitus increscens, somnus reficiens, animique hilaritas de ingruente aquae marinae benigno effectu et aegrum et medicum certiozem reddunt.

Praecepta vix prolata pro aetatis, temperamenti, constitutionis, morbi naturae et gradus etc. ratione suo modo determinanda et a medico definienda esse, per se liquet.

Subinde mali praesentis exasperatio e. g. rheumatismi, aut nova plane incommoda e. g. affectiones catarrhosae, rheumaticae aegri in remedium et medicum fidem sufflamminant. In tali casu refrigerium ne-

glectis regulis necessariis exceptum frequentissime inculpandum erit.

Pectoris angustiae, vel vero hepatis, lienisve dolor oppressivus a congestionibus horum organorum, inflammationes, haemorrhagias minitantibus pendet.

Cephalaea saepius, idque praepriis initiante cura molestans, medici in expiscanda hujus symptomatis causa aut in balneo aut in aegro latente solertiam sibi exposcit. Idem de agrypnia aut peculiari corporis versatilitate valet.

Diarrhoea hinc inde ipsius balnei effectus est non raro desideratus, nonnumquam aliunde repeti debet a balneo incongrue excepto.

Major ventriculi sensilitas, ejusdem oppletio, undarum in regionem epigastricam impetus, aut hujus organi congestio, vomitum subinde ciere possunt.

Efflorescentiae cutanae abnormi cutis sensilitati ut plurimum adscribendae, nec significationem criticam agnoscunt, nec curam interrumpendam suadent.

Ubi cutis admodum sensilis, aut insignis corporis imbecillitas balnei marini meri, aut frigidi aut subfrigidi adplicationem vetat, curam ita ordimur, ut pro re nata, nunc marinae aqua fontana addatur, quarum ad se invicem rationem paulatim mutamus, ascendentes cum marinae quantitate donec balneum merum sit; nunc vero aquam pelagi ad certum gradum calefieri curemus, decrescentes cum hujus temperie donec mare apertum ferat corpus.

Topicum magis aquae marinae usum forma epithematis, embrocationis, affusionis frigidae, commendant quoque auctores in adfectionibus rheumaticis, scrophulosis, scorbuticis, impetiginosis, in tumo-

ribus frigidis, in ulceribus mali moris etc. in membrorum paresi; indeque plus semper sperant, quam ab aquae simplicis virtute. Hinc inde extremitates paraliticae linteis aqua marina imbutis iterumque exsiccatis cum felici successu fricatae sunt.

Cel. *R. Russel* in discutiendis frictionis ope tumoribus scrophulosis, aquae marinae cum fructu addidit succum quercus marinae (fuci vesiculosi *Linn.*) sequenti ratione:

℞. Versicular. querc. marin. liquore suo
 plenarum, mense Julio collectarum libras duas,
 Aquae marinae libras duas.

„Haec stent simul in vase vitreo per dies decem vel quindecim, donec fiat liquor ad spissitudinem mellis tenuissimi proxime accedens. Tum cola et illo liquore glandulas adfectas frica (sub declinatione tumoris praecipue) bis, terve diebus singulis, postea ad munditiam aqua marina lava.“

De interno aquae marinae usu.

Quemadmodum aquarum soteriarum longe plurimae, et externe et interne adplicatae, vires suas non denegant homini, cui valetudo redux in desiderio est; ita et aqua marina, non tantum sub specie balnei, epithematis, embrocationis, affusionis aut clysteris, sed forma potus quoque aegrorum non paucos generi humano restituit, rapido passu Charontis ad undas pergentes.

Virtus aquae marinae purgans, ejusque in dolore ischiadico, morbis glandularum, in affectionibus variis hepatis et artuum, in impetiginibus, tumoribus varii generis, dysenteria, ictero, effectus salubres medicos antiquissimos non latebant, horumque

mentionem faciunt, *Hippocrates*, *Celsus*, *Aretaeus*, *Plinius*, *Sammonicus*, pluresque alii. Aqua maris tunc temporis non tantum mera praescribatur, sed et aliis medicamentis addita, titulo *Thalassomeli* aut vini *Thalassomeni* *). Inter recentiores *cel. R. Russel* ejus usum resuscitavit.

Aqua maris dosi majori ventriculo ingesta nauseam movet, vomitum ciet; dosi minori motum peristalticum sollicitat, secretiones intestinales uberiores reddit, diarrhoeam producit, usu diutius protracto humores spissiores solvit, se- et excretiones expedit, sitim ardentem simul proliciens; ventriculi nervis stimulum addens, appetentiam ciborum provocat digestionem, assimilationem adjuvat, unde ab ejus usu serius desistere cogitur medicus, quam ab usu aquarum soteriarum, ubi ingruens debilitas textusque organici relaxatio timentur.

His viribus praedita famam non exiguam sibi comparavit eadem aqua auctore egregio *R. Russel* in sanandis scrophulis et infarctibus organorum cellulorum recentibus ita constitutis, ut febris, aut inflammationis vestigia desint, in ictero, calculo felleo, incipiente lithiasi, in obstructionibus glandularum Meibomianarum, subcutanearum, organorum spirantium, hepatis, lienis, in struma, impetiginibus,

*) *Thalassomeli Dioscoridis* sequenti modo parabant veteres: Sume aquae marinae, pluvialis mellisque partes aequales, dein per dies caniculares in olla vitrea bene clausa conserventur.

Vinum *Thalassomenum* fit auctore *Plinio*: Uvae paulum ante maturitatem decerptae siccantur acri sole, ter die versatae per triduum, quarto exprimuntur; dein in cadis sole inveterantur, cui aquam marinam largiorem miscent.

ulceribus mali moris etc. *Cel. Cartheuser* *) magnis laudibus extollit aquae marinae interne usurpatae efficaciam in hydrocoelia, leucophlegmatia, hysteria, hypochondria, febris intermittente, imprimis pertinaci quartana, in rachitide, atrophia, ozoena, scabie; *Monro* in polyblennia et morbo verminoso.

Usus internus aquae marinae, morbis chronicis, individuis torpidis, frigidis, leucophlegmaticis melius conducit, quam affectionibus acutis, aegris plethoricis, ad inflammationes dispositis, eumque penitus recusat organon aliquod inflammatum aut suppurans, febris hectica, phthisis, scorbutus perfecte evolutus.

Dosis qua curam incipimus definiri quidem nequit, cum haec ipsa pro varia aetatis, constitutionis, ventriculi sensilitatis etc. ratione variat, in genere tamen praescribunt medici ab initio uncias aquae maris purioris quatuor, portionibus divisas, ventriculo jejuno horisque matutinis sumendas et ascendunt ad libram unam, unde bis terve de die alvus evacuatur.

Regulae sub cura interna diaeteticae cum illis aliarum aquarum congruunt.

Ubi nimia ventriculi sensilitas aquam meram non fert, lac aut calidum aut frigidum addi poterit.

Cura interna vel seorsim instituitur, vel cum externa pari passu incedit.

Nihil amplius adjungendum habeo; lectores autem, criticis oculis volventes pagellas meas, juvenis meliora volentis potius, quam ipsius dissertationis rationem habere velint.

*) *J. F. Cartheuser* de viribus aquae marinae medicis. Francof. 1763.

L i t t e r a t u r a .

Qui de aquis marinis plura scire cupiunt praeter adlatos, sequentes auctores adire poterunt.

L. F. Comte de Marsilli, Hist. phys. de la mer. Amst. 1725.

F. Hill a Hist. of the mat. med. Lond. 1750.

R. Russel oeconomia naturae in morbis acutis et chronicis glandularum. Lond. 1755.

An experimental history of the mat. med. by *Will. Lewis*. Lond. 1768.

F. F. Rutty materia medica antiqua et nova repurgata et illustrata. Lond. et Roter. 1770.

Encyclopédie d'Yverdon par Mr. le Professeur de *Felice*. 1771.

H. D. Gaubii adversaria var. argum. Lugd. 1771.

W. Bromfield chir. obs. et cases. Lond. 1773.

Dav. Macbride system. Einleitung in die theoret. und prakt. Arzneykunde; aus dem Englischen. Leipzig 1773.

Rob. White the use and abuse of seawater impart. consid. Lond. 1775.

Mémoires de l'acad. des sciences de Paris. 1778.

F. Hunczowsky med. chirurg. Beobachtungen. Wien 1783.

F. Hunter über die vener. Krankh. Leipzig 1787.

Gul. Forster de aëre marino ejusque efficacia. Hal. 1787.

Don. Monro chem. prakt. Arzneimittellehre; übersetzt und mit Anmerkungen versehen von *Samuel Hahnemann*. Leipzig 1791.

Baumer Journ. d'instruct. sur toutes les parties de l'art de guérir. An 1792. prem. sem.

J. E. Trampel med. und chirurg. Bemerkungen. Göttingen 1793.

Rob. Hamilton Beobacht. über die scroph. Drüsenverhärt. Krebs und engl. Krankh. Leipzig 1793.

J. Anderson. A practical essay on the good and bad effect of sea-water and sea-bathing. Lond. 1795.

Th. Reid. Direction for warm and cold seabathing. Lond. 1795.

J. Gibney. Practical observations on the use and abuse of cold and warm sea-bathing. Lond. 1813.

Tolberg über die Ähnlichkeit der Soole mit dem Seewasser. Magdeb. 1814.

E. Osann. Darstellung der bekannten Heilquellen. Berl. 1829.



Theses defendendae.

I.

Pulsus infantum et senum aequae fallaces.

II.

Medicinae irrisores aut nequitia aut stultitia excellunt.

III.

Existentia vis medicatrix non superfluum reddit artem medicam.

IV.

Inter varias balneorum species marina altum locum tenent.

V.

Phthisis non est contagiosa.

VI.

Prodest in commercio coenare.

VII.

Medici sinceritas damnosa.

VIII.

Diaeta cardo medicinae.

IX.

Studia nimia uberrimus morborum fons.

X.

Anatomia pathologica plus pollicetur, quam praestat.

XI.

Quaevis theoria boni quidpiam continet.

XII.

Eo utatur medicus.
